UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Institutiones Canonicæ Sive Ivs Ecclesiasticvm

Wiestner, Jacob

Monachii, 1706

Titvlvs XV. De Eo, qui mittitur in Possessionem causâ Rei servandæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-62656

Visual Library

experientia doceat, temerè, & levibus ex rebus inflictam contemni potiùs, quàm formidari.

52. Demum aliquando, ut, cùm per viam inquiſitionis contra contumaciter abſentem proceditur, teſtes aliæque probationes recipiuntur, & per ſententiam ei infligitur pœna, quæ locum habet in abſentem: cujusmodi eſt privatio dignitatis, vel alterius beneficii, & depoſitio, *c. Veritatis cit. in fine*; ne per contumaciam ejus delicta maneant impunita, contra textum *c. Ut ſama 35. de Sent. Excommunicat. & l. Ita vulneratus 51. §. 2. V. Ejusdem, ff. ad L. Aquil.* Zoeſius *ad banc Rubric. n. 4.*

TITVLVS XV.

De Eo, qui mittitur in Poſſeſſionem, causâ Rei ſervandæ.

SUMMARIUM.

1. *Iſtâ proceditur contra Reum contumacem:*
2. *Et Actor ex primo decreto,*
3. *Praviâ ſummariâ cauſa cognitione,*
4. *Si actio Realis, in rei petita,*
5. *Si Perſonalis intentata eſt, mittitur in aliorum Rei bonorum poſſeſſionem.*
6. *Eâ miſſione Actor ſolam detentionem in Perſonali,*
7. *Et in Reali etiam actione conſequitur de Canonico:*
8. *Secundùm aliquos DD. etiam de Civili Jure.*
9. *Reus intra annum comparens recuperat poſſeſſionem.*
10. *Sin', annô lapsô Actor verus rei poſſeſſor evadit,*
11. *In actione Reali ſine novo decreto:*
12. *Quô tamen in Praxi, ſecundùm aliquos, de Jure eſt opus.*
13. *Idem interponendum eſt in actione Perſonali,*
14. *Præmiſſâ pleniori cauſa cognitione.*
15. *Aliquando vera poſſeſſio primô decretô transfertur.*
16. *Actor, ab apprehenſione rei dolô prohibitus, pro poſſeſſore habetur,*
17. *Fictione Juris, & quoad effectus.*
18. *Reus, negans ſe rei dominum, hunc nominare debet.*
19. *Si non nominet, quaſi dominus convenitur.*
20. *Miſſio hæc locum habet in omni Actione,*
21. *Si iſti, aut rei non repugnet.*
22. *Locum tamen non habet in Matrimonio,*
23. *Et beneficiis Eccleſiaſticis,*
24. *Quando ſuper his Petitoriô agitur.*
25. *Et locus eſt, cùm ſuper beneficio Recuperanda:*
26. *Non etiam cùm Adipiſcendæ Poſſeſſorium intentatur.*

Contumaciter à judicio abſentem reum compeſcendi, uſu non infrequens & cæteris efficacius reme- 1.

dium eſt, in ejus rerum vel bonorum poſſeſſionem miſſio : quæ aliquando ex primo, aliquando ex ſecundo etiam judicis decreto contingit.

2. Ex primo decreto fit, quando, reô legitimè in jus vocatô, & contumaciter abſente, itáque litis conteſtationem impediente, judex actorem petentem in rei petitæ, vel aliorum ejus bonorum poſſeſſionem cuſtodiæ causâ immittit; ut ille, hunc in earum poſſeſſione videns, tandem tædiô victus compareat ad reſpondendum, *c. Tua 3. c. fin. §. In aliis, Ut lite non conteſt. c. Contingit 9. de Dolo, c. cùm veniſſent 3.* aliíſque textibus præſenti *Rubrica* ſubjectis

3. Huic tamen immiſſioni, antequam decernatur, præmittere judex debet exactionem juramenti calumniæ ab actore, Panormit. *in §. In aliis cit. n. 13.* & ſummariam negotii cognitionem, *§. cit.* ibi, *Negotium ſummatim examinans in poſſeſſionem actorem mittere non tardabit, Auth. Et qui jurat, C. de Bonis auth. jud. poſſid.* Imprimis de contumacia rei, an ſcilicet citatio ipſi legitimè inſinuata, & tamen ad præfixum terminum peremptorium, nec per ſe, nec per procuratorem comparuerit, Bartol. *in l. Si finita 15. §. Julianus 16. ff. de Damno infecto, n. 18.* Deinde de jure actoris, ſi Realis : vel de debito ipſius rei, ſi Perſonalis actio ſit intentata ; ut de hoc per teſtes vg. vel inſtrumenta, ſaltem ſemiplenè conſtet, *citt.* Bartol. *n. 36.* Panormit. *n. 31.* & Oliva *de Foro Eccleſ. p. 3. q. 26. à n. 30.*

4. Præterea hæc in bona immiſſio aliter in Reali, aliter in Perſonali actione fieri ſolet ; ſi enim reus Reali conventus per contumaciam abſit, actor præviâ ſummariâ cognitione & calumniæ juramentô mittitur in poſſeſſionem ipſius rei petitæ, ſive ejus, ſuper qua lis eſt mota, *§. In aliis cit. l. Fulcinius 7. §. 17. ff. Quibus ex cauſ. poſſ.* quia actio realis in ipſam rem petitam dirigitur, ejúſque poſſeſſionem avocare intendit ratione dominii, quod in actore præſupponitur, *l. In rem 23. pr. ff. de R. V. & l. Actionum 25. ff. de O. & A.*

5. Perſonali autem actione conventus ſi abſit, actor in ejus bonorum primò mobilium, ſi talia reus habeat : &, ſi talia non habeat, vel, quæ habet, non ſufficiant, in immobilium etiam bonorum, pro modo debiti declarati, *§. In aliis cit. V. Si autem:* & demum, his non exiſtentibus, vel non ſufficientibus, in jura & actiones im̃ittitur; quia hic modus ordinariè obſervatur in executione ſententiæ, quæ tranſiit in rem judicatam, *l. A. D. Pio 15. §. 2. ff. de Re judic. l. Præſenti 6. §. 4. C. de His, qui ad Eccleſ. confug.* cujus ſpeciem quandam refert immiſſio in bonorum ſeu rerum poſſeſſionem, Gloſſa *in §. cit. V. Vel immobilium* & *ibi* Panormit. *num. 34.* niſi rem certam & determinatam ſibi deberi actor prætenderet ; hoc enim caſu in iſtius potiùs, quàm aliorum rei bonorum poſſeſſionẽ illum im̃itti, æquitas ſuaderet.

6. Eâ verò immiſſione ex primo decreto actor rerum, in quarum poſſeſſionem miſſus eſt, non dominium : neque etiam, ſi Perſonali actione reum abſentem convenit, veram poſſeſſionem : ſed nudam detentionem & cuſtodiam conſequitur, *l. Poſſideri 3. §. fin. ff. de Adquir. poſſ.* ac proinde rerum detentarum fructus non lucratur, *l. Prætor ait 9. pr. & §. 1. ff. de Reb. auth. Jud. poſſid.* neque Interdicta poſſeſſoria aliáque veræ poſſeſſionis commoda habet, *l. Si duo 3. §. 8. ff. Uti poſſid.* Niſi judex ex gravi cauſa, vg. ob nimis magnam & notoriam contumaciam rei, cùm in jus vocatur, & disertè, præſertim cum contemptu, negantis ſe compariturum, immiſſionem in rem petitam primò decernens exprimat, in pœnam nimiæ contumaciæ

actorem

actorem in veram poſſeſſionem immitti,
ut etiam fructus percipere &c. valeat;
tali enim caſu actorem vi immiſſionis, ex
primò decreto factæ, verum poſſeſſorem
evadere, ex *l. Fulcinius cit. §. fin.* cum
Panormit. *in c. Contingit 9. de Dolo, num.
10.* Baldo *in l. Conſentaneum 8. C. Quomodo & quando jud. num. 35.* deſumunt
Menochius *Retin. remed. 3. à n. 185.* &
Oliva *cit. q. 26. n. 62.*

7. An in actione etiam reali ex primo
decreto in rei petitæ poſſeſſionem miſſus,
veram ejus poſſeſſionem conſequatur, dubium & controverſia quædam eſt inter
DD. Eum enim hanc conſequi, volunt
Bartol. *in §. Julianus cit. n. 45.* Decius
*in c. Conſultationibus 18. de Offic. deleg.
n. 11.* apud *cit.* Menoch. *n. 20.* quòd *l. Si
quis 8 §. 3. C. de Præſcript. 30. vel 40. annor.* ita in poſſeſſionem miſſus Poſſeſſor
nucupetur, in eúmque poſſeſſio transferri, *l. Conſentaneum cit.* & hæc à reo, quando à contumacia recedit, recuperari, dicatur, *§. In aliis cit. & c. Paſtoralis 11. in
fine, de Offic. Ordin.* argumentô minimè
obſcurô, eam, priùsquam recuperetur,
fuiſſe penes actorem.

Sed, etſi hoc Legibus Imperialibus
eſſet ſancitum, Eccleſiaſticum tamen Jus
etiam in reali actione actori, ex decreto
primo in rei petitæ poſſeſſionem miſſo,
intra annum, ſicut dominium, ita veram
poſſeſſionem, vi cujus fructus lucretur
& cæteris poſſeſſorum commodis gaudeat, non concedit; ideóque reo intra
annum comparenti cum re etiam fructus
ſunt reſtituendi. Ita in *§. In aliis cit.*
cum Gloſſa, *V. Poſſeſſionem*, Ant. de Butrio
& Panormit. *n. 20.* cæteri Canoniſtæ plerique: quos poſt *cit.* Menoch. *à n. 210.*
LL. Interpp. non pauci ſecuti ſunt propter hanc noſtram *Rubricam*, eíque textus ſubjectos, ita in poſſeſſionem miſſo
rerum duntaxat conſervationem & cuſtodiam adſtruentes, præſertim *c. 1. §.
Ideoque & §. In aliis cit.* ubi actor ita in
poſſeſſionem miſſus, verus poſſeſſor conſtitui dicitur primùm poſt annum. Unde, eum intra annum verum poſſeſſorem
de Jure Canonico fuiſſe, rectè negant Interpp. & DD. *citt.* & *c. Paſtoralis* in contrarium allegati textu Poſſeſſionis nomen
largè accipi, atque à reo meram detentionem recuperari, notant apud *cit.* Olivam
n. 46. qui, ad evitandam Jurium antinomiam & correctionem, legibus etiam 8.
Civilibus in contrarium adductis poſſeſſionis nomen eodem modo accipiendum
ait; quòd judiciali authoritate in poſſeſſionem ex primo decreto miſſis vera poſſeſſio clarè denegetur, *l. Poſſideri cit. §.
fin. & l. Cùm legatorem 12. ff. Quibus ex
cauſ. in poſſeſſ.* Quare hac in re Jus Civile à Canonico non diſſentire, ipſum Menochium ſecutus Gonzalez cenſet, *in c.
Tuæ 3. Ut lite non conteſt. à n. 15.* alias
leges, quibus contrarium ſuaderi videtur,
eruditâ interpretatione in ſuam ſententiam trahens.

Actore ex primo decreto in poſſeſſionem miſſo reus, ſi intra annum per ſe, 9.
vel procuratorem compareat, & refuſis
expenſis, præviâ judicis taxatione & actoris juramentô moderatis, de judicio ſiſti,
ſive parendo Juri per pignora aut fidejuſſorem ſufficientem cautionem præſtiterit,
ſalvam, hoc eſt, ab aliena detentione liberam rei ſuæ poſſeſſionem cum fructibus recuperat, *§. In aliis cit. c. 1. c. Cùm ſicut 2. hâc Rubr. l. Si quis cit. §. 3. & l. Si
pupillus 33. §. 1. ff. de Reb. auth. jud. poſſid.*
Pirrhing *ad hanc. Rubr. n. 3.*

Si autem obſtinatô animô comparere, vel comparens expenſas refundere, & 10.
cautionem præſtare noluerit, actor rerum, in quarum poſſeſſionem ex primo
decreto miſſus eſt, veram poſſeſſionem
conſequitur. Qua in re tamen iterum

opus eſt diſtinctione inter actionem Re-
alem & Perſonalem.
11. Et illâ quidem, ſive Reali actione, ſi
actor reum convenit, de Jure poſt annu-
am iſtius contumaciam rei, vi primi de-
creti ſolùm detentæ, verus & incommu-
tabilis poſſeſſor evadit: etiamſi novum
decretum non interponatur; ut in po-
ſterum ejus fructus percipiat, aliáque poſ-
ſeſſionis commoda conſequatur; & reus
poſt annũ non audiatur, niſi ſuper propri-
etate. Super hac autem, ſi poſtea compa-
rens Petitoriũ inſtituat, propter verã poſ-
ſeſſionẽ in adverſariũ jam translatam, ex
reo fit actor, & ſubire debet onus proban-
di, quod adverſario tanquam actori, antè
incumbebat, §. *In aliis cit.* & *l. Conſentaneũ*
8. ibi, *Et reum petitorem*, hoc eſt, actorem
conſtituere, *C. Quomodo & quando jud.*
ubi Gloſſa, *V. Transferre*, Panormit. *in* §.
12. *cit. n.* 20. & *cit.* Oliva *n. 57.* *De Jure*,
inquam, & ſecundùm communem iſtius
intellectum; quia in praxi, ut actor ve-
rus poſſeſſor conſtituatur, ſecundum de-
cretum interponi ſolet: & interpoſitum
non ita pridem vidimus in gravi contro-
verſia, inter duos Comites in Conſilio E-
lectorali Aulico agitata.
Non deſunt DD. imò, ſi Wurmſe-
ro *Practic. forenſ. Lib. 1. Tit. 7. obſervat.*
16. credimus, communis illorum ſenſus
eſt, de Jure etiam ſecundô decretô opus
eſſe in actione Reali; id enim non obſcu-
rè tradi volunt, *l. Si finita 15. §. Julianus*
16. cit. & præſertim §. *In aliis cit. V. Si*
verò, verbis, *Dominum poſſeſſionis judex*
tribus edictis legitimè evocabit: & tunc
ipsô in eadem voluntate manente, nego-
tium ſummatim examinans in poſſeſſionem
ipſarum rerum actorem mittere non tar-
dabit, *omni allegatione abſenti ſuper*
principali quæſtione reſervatâ: quem
textum de ſecundo tantùm decreto (in
actione Reali, de qua ibi ſermo eſt) cum
Cuiacio *in Rubric. hîc* intelligit *cit.* Gon-
zalez *n. 32.* Ne autem huic ſuo ſenſui
obſtent textus ejusdem, §. *pr.* & *l. Conſen-*
taneum citt. quibus actorem poſt annum
verum poſſeſſorem conſtitui, ſimpliciter
aſſeritur, id contingere, aiunt, interveni-
ente altero judicis decreto, ut Jura Juri-
bus concilientur. Alii contrà §. *Julia-*
nus cit. de actione Perſonali ſermonem
eſſe: & *V. Si verò cit.* verba, de primo
decreto, ſed caſu ibi relatô veram poſſeſ-
ſionem transferendi vim habente, acci-
pienda volunt. Sed utcunque res ſe ha-
bet in Reali,
Iſtâ ſive Perſonali actione, ſi reum 13.
convenit actor, ut poſt annum rei, in cu-
jus poſſeſſionem ex primo decreto miſſus
eſt, veram poſſeſſionem conſequatur, in-
dubitatè requiritur decretum ſecundum:
quòd, priùsquam ad inſtantiam actoris,
abſentis rei contumaciã denuo accuſantis,
judex interponat, neceſſaria eſt nova cita-
tio: ad quam ſi reus compareat, &, re-
fuſis expenſis, de judicio ſiſti idoneam cau-
tionem præſtet, immiſſio ex ſecundo de-
creto impeditur. Si verò non compare- 14.
at, ad hoc decretum devenitur, præmiſsâ
denuo ſummariâ cognitione: per quam
judici imprimis de primi decreti execu-
tione & lapſo ab iſto integro anno: de-
inde de nova citatione perſonaliter, vel, ſi
latebat, ad ipſius domum facta: & demum
de debito per teſtes, inſtrumentum, aliá-
que argumenta, non ſemiplenè duntaxat,
ut in primi decreti interpoſitione: ſed,
ſi poteſt, plenè conſtet; propter majus
præjudicium, quod reo contumaciter ab-
ſenti hæc immiſſio affert; cùm per hanc
vera rei poſſeſſio & iſtius comoda ab ipſo
transferantnr in actorem: qui ab ipſo, ex
ſecundo decreto factæ, in rei bona immiſ-
ſionis tempore, ſi malam fidem non ha-
beat, eorum fructus ſuos facit, eáque
longo tempore præſcribit; ſi eorum poſ-
ſeſſione

ſeſſione vi deijciatur, Interdictô *Unde vi*
ante omnia reſtituitur: &, quia ex acto-
re fit reus, ſuper iis conventus, debiti
probandi onere relevatus, indebiti pro-
bandi onus in adverſarium transfert,
Gloſſa *fin. in* §. *In aliis. cit.* ubi Panor-
mit. *à n. 40.* Bartolus *in* §. *Julianus cit.*
n. 51. & alii, quos refert & ſequitur *cit.*
Oliva *à n. 84.*

15. Quin aliquando, præſertim, ſi ex
primo decreto in res & bona immiſſio
facta eſt pro menſura debiti, & hoc ple-
nè probatum eſt, decernitur eorum ven-
ditio, & venditorum pretium adjudica-
tur actori; vel, ſi emptor non invenia-
tur, ei in ſolutum dantur, *l. Fulcinius cit.*
§. *1.* ibi, *Ejus bona poſſideri vendique ju-
bendô*, & *l. Vetuſtiſſimam 3.* §. *2. C. de
Jure dominii impetr. citt.* Bartol. *in l.
Fulcinius cit.* §. *Cùm hoc, n. 2.* Panormit.
n. 40. & Oliva *n. 91.*

16. Sed quid Juris inquies, ſi actor ex primo
vel ſecundo decreto in rei petitæ, vel a-
liorum adverſarii, contumaciter abſen-
tis, bonorum poſſeſſionem miſſus, ea rea-
liter apprehendere, detinere & poſſidere
nequeat propter iſtius potentiam vel do-
lum? Eô caſu illum perinde, acſi rem vel
bona poſt primum decretum realiter de-
tineret, ut interpoſitô poſt annum ſecun-
dô decretô, vel in actione reali etiam ſi-
ne iſto, verè poſſideret, utriusque Juris
fictione haberi, patet ex *c. Contingit 9. de
Dolo & l. Quamvis 13.* junctâ Gloſſa, *V. Pe-
rinde, ff de Reb. Auth. jud. poſſid.* Quod
ſtatuendi juſtiſſima ratio fuit; ne reus ex
malitia ſua commodum reportet, & ju-
ſtum imperium atque authoritatem con-
temnenti inobedientia prodeſſe: & vi-
ciſſim reverenti atque obſervanti obeſſe
videatur, juxta *can. Quanto, 2. q. 4. c. 1. de
Poſtul. Prælat.* & *l. Hæc ratio 3.* §. *1.* ibi,
*Ne melior ſit conditio eorum, qui delin-
quunt, de Donat. inter vir. & uxor.*

Neque obſtat; quòd ad poſſeſſionem
acquirendã non ſufficiat ſolus animus, ſed
etiam corporalis apprehenſio requiratur,
l. Poſſideri 3. §. *1. & 3. & l. Quemadmodum
10. ff. de Adquir. poſſeſſ.* quia ex *c. Contin-
git & l. Quamvis citt.* diſpoſitione actor
verus poſſeſſor non evadit phyſicè: ſed
fictione quadam Juris, realis detentionis 17.
& veræ poſſeſſionis effectus & commoda
ipſi non minùs tribuentis, quàm illi, qui
rei vel bonorum realem detentionem &
poſſeſſionem phyſicè eſt conſecutus, Gloſ-
ſa *cit.* & Vivianus *in c. Contingit cit. &
ibi* Barboſa *n. 2.*

Quid etiam Juris, ſi ſuper aliqua re 18.
immobili conventus, ſe non dominum
nec poſſeſſorem illius eſſe, dicat; quòd e-
am non ſuo, ſed alieno nomine, ut com-
modatarius, depoſitarius, conductor
rem cõmodatam, depoſitam, conductam,
poſſideat? Caſu iſto, reus conventus, ut
judicium evitet, intra terminum ipſi aſ-
ſignandum, nominare debet dominum,
aut verum ejus poſſeſſorem; ut iſte per
ſe, vel per alium reſponſurus in jus vo-
cetur, §. *In aliis cit. V. Quod ſi ſuper &
l. Si quis alterius 2. C. Ubi in rem actio
exerc.* Si verò in re, ſuper qua eſt con-
ventus, jus in re habeat, ut uſufructuarius,
Emphyteuta, Vaſallus, multùm intereſt,
an ſuper hujusmodi jure, vel ipſa re con-
veniatur; priori enim caſu, dominô non
nominatô, ſuo nomine reſpondere ipſe 19.
debet: &, ſi contumaciter renuat, miſ-
ſionem patietur; quia per hoc domino
proprietatis non præjudicatur, & obti-
netur finis immiſſionis; ut reus eâ fati-
gatus à contumacia recedat, Haunold.
Tom. 5. de J. & J. Tract. 3. n. 115. Ca-
ſu autem poſteriori, & quoties de inter-
eſſe ſeu præjudicio domini agitur, hunc
nominare debet, Panormit *in* §. *cit. num.
23.* & Bartol. *in l. Si quis cit. n. 6.* Qui,
ſi non compareat, tribus edictis legitimis

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

in jus eſt vocandus: eóque contumaciter abſente, actor, examinatô ſummariè negotiô, in rei poſſeſſionem veram ex ſecundo, ut vult Gonzalez *l. cit.* vel, ut exiſtimant, qui in actione reali ſecundô opus eſſe negant, ex primo quidem decreto, ſed inſtar ſecundi, aliis caſibus interpoſiti, veram poſſeſſionem transferente, eſt mittendus, quæſtione tantùm proprietatis reo reſervatâ, juxta *§. cit.*

Si verò rem alieno nomine poſſidens dominum non nominet: itáque ſuo nomine litem conteſtetur, pro eo habetur, acſi liti ſe obtuliſſet: ſententia tamen contra eum lata ipſi tantùm, non etiam domino, aut vero poſſeſſori, nocebit, per *Rubric. & text. C. Res inter alios acta &c.* Panormit. *cit. n. 23.* Bartol. *in l. Si quis cit. n.* 17. & Oliva *q. cit. n. 97.*

20. Atque hactenus declaratæ in res & bona rei, contumaciter à judicio abſentis, immiſſioni locus eſt in omnibus actionibus Realibus & Perſonalibus, motis ſuper rebus etiam incorporalibus: niſi eam actionis vel rei, ſuper qua reus in judicio conventus eſt, natura excludat, Bartol. in *§. Julianus cit. n. 41.* & Baldus *in Auth. Si omnes C. Si minor ab hæredit. ſe abſtin. num.* 10.

21. Eam autem natura actionis excludit, quoties in cauſis Civilibus actor nihil petit: ſed, ſe ab aliquo tantùm vult excuſare, vel liberare: ſicut contingit, quando minor adverſus aditam hæreditatem reſtitui petit, & creditores legitimè citati intra tres menſes non comparent; hôc enim caſu non mittitur in poſſeſſionem hæreditatis, quam fugit: ſed ab ea ſolùm cupit, & lite non conteſtatâ, permittitur abſtinere, ſecundùm *Auth.* & Interpp. *citt.* Oliva *q. cit. n. 7.*

22. Eandem miſſionem res non patitur, quando in judicium deducitur cauſa matrimonialis; ne illicitæ copulæ cum non ſua occaſio præbeatur: in qua proinde reus contumax, ut compareat, per cenſuras Eccleſiaſticas eſt compellendus, *c. Tua* 3. &, ſi in contumacia perſeveret, procedendum ad ſententiam definitivam, *c. fin. § Porro, Ut lite non conteſt.* ut *ibi* dictum *à n. 7.*

Eidem, ne contra *Regulam* 1. *in 6.* 23.
vitioſus in beneficia ingreſſus facilè pateat, locus non eſt in cauſis Beneficialibus, *c. Unico in 6.* cujus diſpoſitio, ne ultrà, quàm par eſt, à communis Juris Regula abſtrahatur, ad hanc beneficiô diſtinctionis inter judicia Petitorium & Poſſeſſorium, quàm propè vitioſi ingreſſus declinandi neceſſitas patitur, à DD. in exorbitantibus extenſionem fugientibus, reduci ſolet & commodè poteſt.

Et quidem, ſi beneficii Eccleſiaſtici 24.
poſſeſſor, Petitoriô ſuper ejus proprietate conventus & legitimè citatus, contumaciter abſit, miſſioni in poſſeſſionem ex primo decreto minimè locum: ſed potiùs rei contumaciam cenſuris flectendam: &, ſi iſtæ non proficiant, lite non conteſtatâ, ad ſententiam definitivam procedendum, à Bonifacio VIII. *c. Unico cit.* deciſum & ratio eſt; quòd, etſi de poſſeſſoris contumacia conſtet, non tamen liqueat de jure ſeu titulo actoris: ac proinde, ſi iſte, ante examinationem tituli, ex primo decreto mitteretur in poſſeſſionem, periculum eſſet vitioſi ingreſſûs in beneficium, contra *Reg. cit.* quia actor poſt annum evaderet verus poſſeſſor beneficii, Gloſſa *fin. in c. Contingit cit. ubi* Panormit. *n.* 11. Francus *in c. Unico cit. n.* 4. & Selva *de Benef. p. 3. q.* 21. *n.* 11.

Neque huic deciſioni adverſatur, quòd, *c. 1. hîc & c. Dilectus 2. de Sequeſtr. poſſeſſ.* ex primo decreto in poſſeſſionem miſſio facta ſit in cauſis, in quibus agitur de Eccleſia; quia *cc. citt.* agitur de Eccleſia, non quatenus eſt beneficium: ſed quate-

nus eſt

nus eſt proprietas quædam, à ſpiritualis officii titulo ſeparata: in cujus poſſeſſionem immiſſio, cum vitioſi ad beneficium Eccleſiaſticum ingreſſûs periculô non eſt conjuncta; ſicut cum iſto conjuncta eſt im̃iſſio in alicujus Prælaturæ Rectoratũ, vel alterius beneficii poſſeſſionem ita decreta, Gonzalez *in c. Tua cit. n.* 11.

Quando autem agitur judiciô Poſſeſſoriô ad obtinendam poſſeſſionem beneficii jam obtenti, reô abſente, actorem in ejus poſſeſſionem ex primo decreto mitti poſſe, tradit Gloſſa in *c. Unic. cit. V. Obtinendis*; quòd *c. cit.* conſtitutio exorbitet à Jure communi, propter contumaciam immiſſionem regulariter permittente; & propterea, cùm de obtinendis expreſsè loquatur, ad beneficia jam obtenta non ſit extendenda, *arg. c. Cùm expediat 29. pr. de Elect. in 6. & l. Præcipimus 32. in fine C. de Appellat.* Contrà ad beneficii jam obtenti poſſeſſionem agentem, reô contumaciter abſente, in ejus poſſeſſionem ita mitti poſſe, negat Franc. *cit. n. 4.* quòd *c. Unico cit.* allegatum vitioſi ingreſſûs periculum non leve etiam oriatur ex immiſſione in poſſeſſionem beneficii jam obtenti: ſi non diſcutiatur titulus, ex quo id competat actori.

Mihi, utrique Opinioni aliquid tribui poſſe, videtur beneficiô alterius diſtinctionis, inter ipſa judicia Poſſeſſoria; vel enim agitur Poſſeſſoriô Recuperandæ, vel Adipiſcendæ?

25. Si prius, & pro recuperatione beneficii, cujus poſſeſſione actor eſt ſpoliatus, agatur, iſte (niſi notorius proprietatis defectus obſtet, juxta dicta *Tit 13. n. 110.*) ſicut præſente, ita etiam per contumaciam abſente adverſariô, in poſſeſſionem, etiam non probatô (imò nec exhibitô) titulô de Jure eſt reſtituendus: dummodo poſſeſſionem & ſpoliationem probet, juxta *can. Redintegranda, 3. q. 1. c. Literis 5. & c. conquerente 7. de Reſtit. Spoliat.* Laiman *in c. Unic. cit. n. 2.* Si
poſterius, & pro adipiſcenda poſſeſſione, 26.
vg. Prælaturæ per electionem jam confirmatam, aut aliam proviſionem canonicè obtentæ, contra ejus poſſeſſorem (quòd ejus poſſeſſionem per laicorum intruſionem, vel Simoniam obtinuerit) agatur, actor in ejus poſſeſſionem etiam cuſtodiæ tantùm cauſâ non mittendus: ſed procedendum eſt ad receptionem teſtium & ſententiam definitivam: quâ pro actore latâ iſte veram vg. Prælaturæ poſſeſſionem conſequetur, partim; quòd hôc caſu, ſi non examinetur titulus, vitioſi ingreſſûs periculum afferat immiſſio ex primo decreto; quia immiſſus poſt annum evaderet verus poſſeſſor: partim verò; quòd intra annum non poſſet exercere actus, vg. jurisdictionis in foro utroque; cùm iſti, tanquam fructus beneficii, non competant, niſi vero ejus poſſeſſori: qualis non eſt, qui in rei poſſeſſionem miſſus eſt ex primo decreto; quia talis, juxta dicta, rei ſolam detentionem & cuſtodiam habet, Panormit. *l. cit. n.* 11. Speculat. *Tit. De Secundo decreto § 4. n. 12.* & Laiman. *l. cit. n. 3.*

Neque obſtat; quòd *c. Unic cit.* textus loquatur de beneficiis obtinendis; quia per electionem confirmatam, aut aliter proviſus de Prælatura, vel alio beneficio, in cujus poſſeſſione alius exiſtit, agere debet pro eo obtinendo: non quidem quoad proprietatem, ſed quoad poſſeſſionem, in quam alter eſt intruſus, *citt.* Gloſſa *V. Obtinendis*, & Panormit. *n. 17.*

TITU-